



Incomparabilis Viri H. Grotii In Textvm Concionis Hvivs Fvnebris siue in Epistolae ad Thessal. I, caput IV, 13-17. Commentatio

[Kiel?], [1711?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1733584900>

Druck Freier  Zugang





Small, light-colored rectangular label on the left edge, possibly containing a title or author name, but the text is illegible.

Small, light-colored rectangular label on the left edge, containing handwritten text: "II.", "40", and "00".

enth. 32 Stücke

J 2 II

1899 / 500

-40

IN TEXTVM CONCIONIS HVIVS FVNEBRIS

sive

in Epistolae ad Theſſal. I, caput IV, 13--17.

COMMENTATIO.

NOlo quicquam mihi credatur nisi testem do locupletissimum doctorem gentium, fundatorem Ecclesiarum, vocatum de caelo Apostolum, qui humanae quoque sapientiae literis tinctus, omiſſis aliis omnibus quae dici poterant & solebant, luctus immodestiam hoc uno fulmine proſternit: Non patiemur, fratres, ignaros vos esse ejus rei quae ad sopitos pertinet, ne perinde eos lugeatis ut solent illi qui nihil certae spei conceperunt. Nam si verum est quod credimus, mortuum fuisse Iesum, & resurrexisse, certe etiam Deus eos qui obdormierunt, quique per Iesum sibi commendantur, eo adducet ubi cum ipso Iesu sunt futuri. Solent epistola brevius dicere quod familiaris sermo liberalius explicat. Quod si, ut creditur, postquam hoc scripserat Paulus, disciplinae suae alumnos Macedonas iterum vidit, potuit saluberrimum hoc oraculum fusius hunc in modum prosequi. Amici, quos in parem nobiscum sortem natura genuit, sed rursus in parem sortem divini sermonis satio reformavit, scitis officii esse nostri penitus educere quicquid in vobis pristinae sortis remanet. Ipse vultus, ipse habitus gestusque vester loquitur, angit vos animi & diu & graviter, si quid de proximis affectibus oculis vestris subtrahatum est. Nimirum vidistis id ipsum in maioribus vestris, videtis etiamnum in iis quibus permixti vivitis. Magna vis est vitii quod parentum auctoritas commendat, magnum & contagium a morbis, qui non homines singulos sed populos insederunt: verum meminiſſe vos oportet cui disciplina dederitis nomen, cum animorum mundiciem corporis vestri lotio figuravit. Stipulatus a vobis sum ut a saeculo diuortium faceretis. Cum Deo pax non minoris emitur. Habemus placita, habemus & ritus qui nos a mundo segregant & aliam faciunt humani generis portionem. Etiam vocabula rerum non eadem usurpamus. Quos interiisse illi dicunt, nos in soporem datos dicimus. Ita loqui nos docuit optimus, non vivendi tantum sed & loquendi magister. Quid sibi vult ista verbi novitas? Somnum mortis esse imaginem, etiam Graecorum Poetae & Philosophi prodiderunt, sed non respondet apud ipsos similitudo, quae apud nos exactissima est. Vitam ex motu & actione intelligimus: his deficitur corpus ubi somni vinculis constrictum & quasi sepultum jacet: ubi nocte depulsa dies effulsit, redit ille non amissus sed intermissus vigor, atque interim animus, quae sine corpore potest munera obeundo, temporis utriusque fines sui actus perpetuitate connectit. Ita cum mortalis aevi terminus aduenit, jacet corpus torpidum atque otiosum, sive ejus quod proxime fuit formam adhuc retinet, sive jam origini suae partes reddidit. Sed expecta dum magnus dies illucescat; jam apparebit ad tempus requiesse quod perditum videbatur. Interea pars illa quae non aspicitur, pro toto homine possessionem vitae retinet. Confer cum hac nostra fide quod caeteri per tot denia currentes sentiunt, cum in plurimis maximisque dissentiant, in hoc ferme uno concordet quod vitam corpori redituram desperant, ac proinde homini abiudicant immortalitatem. Nam homo est corpus animatum, non animus sine corpore, ut nec corpus sine animo. Animum ipsum elapsum e corpore plerique illorum aut in nihilum redigi arbitrantur, aut certe non retinere propriae substantiae statum. Ita totus homo illis sine spe restitutionis destruitur, quod ex ipsis illis consolationibus videre est quas lugentibus adhibent. Mortuis enim dicunt non bene quidem esse, sed nec male. Quamquam autem hi satis duriter, multo tamen durius de animo sentiunt, qui eum faciunt corpori superstitem. Nam inferos, id est communem, ut ipsi volunt, animorum e corpore egredientium sedem, depingunt locis vastis, horrida nocte, tali denique rerum facie quam nemo non velit alia morte effugere: & quod pessimum est etiam, quibus caetera supplicia remittunt, unum illud indicunt supplicium nunquam desitutum, in-

ne desiderium vitae prioris. Quod si qui inter ipsos (& hi sane pauci) melius quid ominentur , haesi-
tant tamen & fluctuant , optantibus quam affirmantibus similiores. Vos autem manere animis re-
dituram & corpori vitam , inter ipsa doctrinae nostrae elementa didicistis. Quod vota nostra con-
summat , idem et initiationis sanctae formulam absoluit. Interrogati an crederetis carnis resurrecti-
onem et vitam aeternam , Deo Deique populo teste respondistis singuli , vos credere. Ex hac formula vos
conuenio , sed non satis est leuiter assentiri : opus est radices in animos agat ista persuasio ; ita matu-
ros et pulchros , et perbituros fructus proferet. Multum ad hanc rem valet attenda meditatio argu-
mentorum quibus inducti huic sententiae subscripsistis. Non orationum calamistris vos captauimus ,
non alio consequentiarum suggestu rudioribus ingeniis nebulas offudimus , sed rem perduximus ad id
quod uisus , foeminis , doctis , indoctis , adolescentibus , ac senibus commune est , interque res omnes
certissimum habetur , sensus iudicium. Rerum naturae indagator inter Graecos maximi nominis ,
cur multa sint incomperta hanc causam adferebat.

Haec quia nec possis oculorum cernere visu

Prendere nec manibus , fidei certissima , qua se

Fert uia , et humanae subit in penetralia mentis.

Praeterclusit nobis hoc effugium Deus ut rei speratae specimen ac pignus oculis manibusque nostris ingessit.
Iesum Christum nostrae fidei auspiciem , cruci affixum et in cruce mortuum uidit Hierosolymorum ciuitas ,
uidit senatus , cohors Romana , et illa quamuis magnae urbi grauis aduenarum multitudo , sepultum fuisse
et in sepulchro iacuisse per duas noctes et interpositum diem , et sigilli documento et custodiae testimonio
constat. Haecenus nobis cum hostibus conuenit. Hunc ipsum Iesum post id tempus uiuentem iterum uiderunt
foeminae , uiderunt et familiares ; tum singuli aliquot , tum undecim uniuersi : nec semel tantum : fuere
et qui manus ac latera contrectarent. Ne quid ad plenissimam fidem deesset , quingentis simul testibus
spectandum atque audiendum se praebuit : quorum pars magna uiuit et testimonium dicit. Ut ad me
ueniam , uidi ipse cum diuina maiestate fulgentem , nec alio auctore mutauit partes , et sacramentum
ei dixi in quem omne odii virus effuderam. Estne adhuc qui dubitet ? At nullus aequus iudex tot
testes reiecit integrae vitae , quibus nullum mentiendi pretium. Nobis hoc testimonium tantum
abest ut lucrosum sit , emendum est iactura omnium rerum propter quas homines mentiri solent : ideo o-
dia incurrimus etiam proximorum ; bonis exuimur ; patria eiicimur ; de uita quotidie periclitamur.
Nemo tanti emit , alium fallere. Quod si recipitur testimonium nostrum , euidentissimo exemplo constat ,
corpori mortuo posse a Deo restitui vitam. Sed et hoc idem euenturum omnibus Christi instituta sectan-
tibus , eodem argumento euincitur , modo id constet quod constat multorum millium auditu , Christum
id spondidisse. Nam resurrectioni nostrorum corporum Christus testimonium praebet , Christo uicissim
sua resurrectio. Neque enim Dei aequitas ferebat ut is bonos contingeret nisi uera nuntianti , prae-
sertim cum is ipse iam ante euentum , hoc dedisset pignus suae affirmationis. Credite ergo nobis , Chri-
stum reuixisse , credite et Christo reuicturos omnes ad immortalem beatitudinem et beatam immortali-
tatem qui in ipsius disciplina exspirant. Ipse nos Patri sistet , qui semel a patre impetravit ut nihil frustra
roget : ipse nos honoris sui participes introducet in illa imperturbatae pacis loca , ubi nec morbis ad cor-
pus , nec uitiis ad animum aditus dabitur , ubi uita erit sine mortis metu , gaudia sine moeroris mixtu-
ra. Huius coenae iam gustum habent qui hinc abierunt animi Christianorum , in dulcissima tran-
quillitate expectantes summam non sine corporibus implendae felicitatis. Haec qui ex animo credit
tantum abest ut doleat , non potest non gratulari iis quos ad communia uota praemisit. Vere enim
rem aestimanti non mortui sunt , sed mori nunc demum desierunt. Longius me quam putaueram
produxit Pauli locus , dum singula eius uerba , uerborumque vim , conor excutere. Neque enim ullum
remedium luctui melius dari posse certus sum , quam quod ille magnus animorum medicator inter im-
mensos salutaris sapientiae thesauros ab ipso coelo detulit. Et sic quoque , quam multa omisi quae ex
eodem illo fonte hauriri poterant ? sufficient tamen quae inde deduximus dum auide bibantur , & ita ut
omnes uiscerum sinus permeent. Vid. Grotii Epistolarum ad Gallos princeps ac regina ,
quae est XXVI. Consolatoria super obitu Mariae Madalena uxoris Maurerii.



33

LBMV Schwerin


000 314 889




Landesbibliothek
Mecklenburg-Vorpommern
Günther Uecker

http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn1733584900/phys_0005





NEQVE T
AB INGEN
AVT AB ART
QVIN POTIVS A
ET A DOLOR
EXIGVVM HOC MAGNI AM
MAESTI
SEBASTIAN V
PHIL. MOR.
CVI ACER
OMNI AQ
ET IC
PLANE I
EX QVO IDEM CVM
NON SOLVM ANNAM C
SED ETIAM FLENSB
ANNAM GVDIAM, MA
KILONII ET IPSAM MATR
ROSTFOCHII
LINDEMANNÆ SORORIS SV
IDEOQVE TRIBVS AN
QVATVOR
FVNERAQVE FV
ET LACRIMIS SVIS ET
ABI
ET HOC NIMIAE FRAGILIT
VITAM NOSTRA
ET E MOMENTO PE
DISCE, VEL SECVNDIS
QVVM CERTA MORTIS
PROINDE TOTA VITA
VT IN
NON TAM VI
QVAM MO
CO



SSENIA
NDIAM,
IS INSIGNE;
DESIDERIVM,
T FLETVS.
DOLORIS MONVMENTVM
OSVIT
RTHOLTVS,
EOS PROF.
DLORES
TALIA,
TICO
KERE,
TVM EXPERTVS,
I SIBI VITA CARIOREM,
AM DEFVNCTAE,
CO SIBI DILECTAM,
M OPTIMAM ANNAM,
ANNAM,
M VNICAM ET NVBILEM,
DVM CIRCVMACTIS,
AMISIT,
CVMVLATA
PROSEQVTVS EST.
MANAE EXEMPO DISCE,
VISSIMO FILO,
AETERNITATEM.
ORTVNAM VERERI,
HIL SIT INCERTIVS.
DITATIO SIT MORTIS,
RE
M MORTE,
VM VITA